

tam dura diabolum obsidione cinxit, et ita defatigavit mysteri huius ignarum, ut usque ad ultimum victorie tempus, in ipsa nempe cruce, mysterium non intellexerit. Videmus etiam Hieremiam de hoc arcano loquentem usurpassse verbum circumdandi, ait enim (c. 31): *Mulier circumdabit virum: quod loquendi genus, et metaphora mirabilis et aptissima est ad incarnationis mysterium insinandum: nam quemadmodum in circulo est dorum extremorum coniunctio, scilicet principii, et finis inter se valde distantium, in unum tamen punctum indivisum coeuntium; ita in mysterio incarnationis natura divina, et humana in unum concurrunt suppositum, etsi prius tanto disiungerentur intervallo, quanto creator a creatura, Deus ab homine separantur: ille namque rerum omnium est principium, hic eorundem terminus: quae duo nomina sibi Christus indidit, se ipsum primam alphabeti litteram, et ultimam appellans, cum dixit (Apo. 1): *Ego sum alpha, et omega, principium, et finis*. Quae duo in illo confuncta fuerunt hypostatica unione, dum corpus assumpsit Dei Verbum, atque sapientia, ut illam homines edoceret. Huc etiam faciunt verba Isaiae: *Ego Dominus primus, et novissimus ego sum*; hoc est, sum Deus, qui prima rerum causa est, et homo pariter, quia Deus hominem novissime post omnes alias creaturas condidit. Ait tandem Deus adversus diabolum, et reducam te in viam, per quam venisti; constringam te ita vehementer hoc mirabili circulo, ut revocare gradum compellam, et in viam, per quam paratus homini dolum veneras, regressaris. Nam si foemina tanquam tuae fraudis instrumento es usus, Eva videlicet imtemperante, et inobediente, aliam ego obediens, et temperantem accipiam, nempe Mariam, ut per te labefacta illius prole, eandem restaurem. Praeterea, si tu hominem a tanta dignitate deturbares, similitudinem cum Deo ei obulisti, dicens: *Eritis sicut Dei*, et efficaciam ego tu indignus Deus hominis naturam, homo vere ad Dei similitudinem, Deus factus, ascendat.*

Nec oblitus est huius mysterii Abacuch propheta, licet id obscure sic indicaverit: *Deus ab austro venit, et sanctus de monte Pharan*. Nam cum australis regio, et mons Pharan plurimum distent, quomodo fieri potest, ut una eademque persona, a locis tam diversis atque remotis, eodem veniat? Est etiam regio australis clarissima, ymo autem Pharan obscurus, unde Septuaginta interpretantur montem umbrosus: quomodo ergo eodem tempore ab austro, et monte Pharan, hoc est a loco obscuro, et claro Deus venire potest? Ratio mysterii est, quod illic Propheta de Deo homine loquitur, in quem eodem puncto temporis divina et humana natura convenerant, divina quidem veniens ab austro, id est, a Patre aeterno, quoniam sicut tibi numquam est nox, sed perpetuus splendor, ita in Deo obscuritas non est, sed totus lucidus est, immo ipsa lux, de quo Ioannes (in prima canonica) inquit: *Lux est, et tenebrae in eo non sunt ullae*. Sed quod pertinet ad naturam hominis, venit a monte Pharan loco umbroso; nempe a sacratissima Vir-

gine, ut explicant Enthymius, et Theophylactus. Virgo enim Maria nos quidem est, propter suae sanctitatis excellentiam, et dignitatis sublimitatem; est etiam mons umbrosus propter unbram quam ei fecit Spiritus sanctus, sicut angelus dixit: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi*. In cuius expositionis confirmationem silentio praeterendum non est, quod sanctus Hieronymus (in huius loci comm.) scribit, videlicet audivisse quendam doctissimum Haebræum, ubi nostra vulgata legit, *Deus ab Austro venit*, legentem, Deus ab Bethlem venit, quoniam Bethlem ad plagam australem sita est: quam interpretationem sequuntur Theophylactus, Enthymius, et Theodoretus, et Magentius (lib. 1. Dialog. ad Nestor.), ut refertur in tomo 5. Bibliothecae sanctorum Patrum, et ante eos Tertullianus antiquissimus scriptor (lib. de Trin.) explicat, vel ut aliis placet, Novatianus Romanae urbis presbyter, quem volunt auctorem illius libri esse.

HOMILIA VI.

Divinum Verbum cum pluvia, et rore comparatur, et exponuntur verba (Psalm. 67): Pluviam voluntariam segregabis Deus haereditati tuae, etc. et verba (Psalm. 72): Sicut pluvia in vellus descendisti, et sicut stillicidia stillantia super terram.

Rex, et propheta David de Verbi Incarnatione loquens, eam metaphoricè vocat pluviam his verbis (Psalm. 67): *Pluviam voluntariam segregabis Deus haereditati tuae*. Dicit vulgo solet, pluvia festinanter et copiose labente, quod voluntarie pluit; id tamen improprie, quippe non est in aqua seu pluvia voluntas descendendi, sed in Deo illam mittente, a quo talem suscepit aqua, naturam, ut deorsum, sicut ignis sursum, feratur. Pluvia autem, quam Deus misit populo suo, nempe Filium suum, vere est voluntaria, quandoquidem voluntarie descendit ad terram, ut illum fecundaret, gratuito se pro nobis offerens: unde illud (Isai. 53): *Oblatus est, quia ipse voluit: unde voluntate sua nos in filios Dei regeneravit*. Voluntarie enim genuit nos Verbo veritatis, ut ait d. Iacobus (c. 1). Quod si scire cupimus, quomodo Rex David Christum pluviam appellet, facile occurrit ratio, si consideremus, quam magis et copiosius illa decidente fructus in terra proveniat, et quantum eius inopia atque defectus sit perniciosus. Nolo morari Aegypti famem commemorans, quando angustiae fluminis Nili exundationes frumentum, quod, Nilo abundante, dare solebant, diu negarunt: non revocatis in memoriam septem illas boves maras, quae devoraverunt pingues, vel septem steriles pecoras, quae fertiles, et plenas consumpserunt: non recensendo damna, quae pluviae

defectus terrae altitit, qualis fuit sub rege Achab fames Israel, quando vidua paupercola, quod habebat farinae, abscondit, qua deficiente viam quoque terminaret suam: non memorabile ingenium famem sacris narratum eloquiis, quae adeo Hierosolymis invaluit, ut proprium mater comederit filium; referam tantummodo maledicere volentem Davidem montibus Gelboe propter Saulis, et Ionathae mortem, nullam hanc execratione invenisse maiorem: *Montes Gelboe, nec vos, nec pluvia cadat super vos*: hanc enim gravissimam omnium calamitatem, atque miseriam iudicavit, qua nulla perniciosior potest terris accidere: idque merito, siquidem experientia docet, tempore famis pauperes, ac inopes, a quibus haec calamitas simul exordium, macie languentes, huc atque illic vagari, pallentes vultu, suppressis oculis, horrentibus capillis, gemitu ac lacrymis cuncta complentes, ostia importunis clamoribus pulsantes, et vi famis cogente, herbis more bestiarum vescentes; animalia vero, et pecora herbas non invenientia, glebas et arenia saxa lambere, exsiccatae aquae inopia radices convellere, plurima per vias, et agros iacere fame confecta. Tunc divites ante benigni, ac liberales, sumptibus parcunt, ut futurae indigentiae provideant; avari lucri studium augent, frumentum carius vendunt, cerantes pluribus in locis, terram praescicitate debescere, cuius rimulae et hiatus tanquam aperta quaedam ora videntur aquam efflagitare. Propterea David maximum desiderium, et sitim ardentissimam, qua in Deum aestuabat, significaturus, comparat se terrae aquam desideranti: *Anima mea, inquit (Psalm. 141), sicut terra sine aqua tibi*. At si in tanta rerum omnium calamitate, coelum liberaliter agere, et rigare terras incipiat, aquarum imbribus copiose labentibus, nemo non laetatur, uno excepto avaro, qui prae nimio dolore, et lucri desperatione contristatur, ac luctu et moerore conficitur, quod iam frumentum eius, unde uberrimum expectabat lucrum, non tanti vendendam sit. Magna tunc voluptas est, ingensque gaudium, terram videre tumentem, rivulos excrecentes, prala herbis virentia, arbusculas foliis ornatas, mensas solitis pomis, ac cibis onustas, pauperes, et inopes refectos, et novae quasi vitae, et spiritui restitutos. Sed nunc ad rem nostram. Quis nescit, quanta esset ante Christi adventum totius mundi infelicitas, rerumque calamitas? Nam idololatria nimis per omnia serpserat, tyrannidis violentia sedem fixerat, et ambitio thronum occupaverat, turpitudine ubique gentium invaluerat, aurum, et argentum pro Deo colebatur, et Deo vero nullus, vel perexiguus honor, et reverentia deferrebatur. Hoc igitur tempore, quando terra magis indigebat, misit caelitus Deus hanc incarnati Verbi pluviam salutarem, quae tales, ac tantos produxit in mundo suae virtutis effectus, ut montes tanquam cera liquescens defuerint, et aquae tanquam ignis exarsissent, iuxta quod Isaías (c. 64) dixerat: *Utinam dirumperet coelos, et descenderet; a facie tua montes defluerent, et aquae arderent igni*. Nova profecto haec res, et inusitata dicendi genus: si

dixisset montes arsisse, quippe in eis ligna sunt, quibus facile fit incendium, et aquas gelu concretas liquefieri, ac fluere calore solis, non ita videretur insolitum, et a ratione alienum; at reverso ordine cum dicat montes defluere, et aquas ardere, non certe potest grandis carere mysterio. Quod ego invenio, hoc est, nimirum nomine montium intelligi superbos, sicut (cap. 40) quando Isaías dixit: *Omnis mons humiliabitur*: montibus enim superbi assimilatur non solum duritie cordis, sed etiam quoniam cum ipso coelo contendunt; et quia sicut montes despiciunt valles, ita illi contemnant humiliores. Praeterea ut montes aeris inclementiae, ac fulminibus sunt obnoxii; sic illi gravius, et frequentioribus Dei supplicis subiciuntur. Nomine aquarum Propheta hoc loco intelligit corda gelida, et aridos frigidus, in quibus scintillae divini ardoris extinguuntur. Unde verborum Isaiae sententia erit, quod ab Spiritu Dei tales montes, nempe id genus homines, ab Spiritu Dei mollescent, et subsident, duritiem animorum, et superbia deponentes; et aquae, hoc est frigidum animi, ardore charitatis liquefient, et exardescunt. Nulla enim tam insolens superbia, nullus verex adeo sublimis, qui humilitate Dei incarnati considerata, non se demittat, et subterat. Nullum quoque ita frigidum, etiam si gelu superet rigore, quod non liquecat, et ardeat ad praesentiam illius, qui tanto flagrant amore hominum, ut propter eorum salutem existens ipse Deus fieri homo voluerit, ut homo fieret Dei filius naturalis in Christo, in reliquis adoptionis, dicente Paulo (ad Gal. 4): *Ut adoptionem filiorum Dei reciperemus*. Unde Ioannes Chrysostomus, cum dixisset Evangelista Ioannes: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*; ac mox: *Et Verbum caro factum est*, ait illam particulam et non significare consequentiam, sed causam; ac si dixisset: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*, quia, *Verbum caro factum est*.

Verum ut clarius appareat, quam ingeniosa sit pluviae, et roris metaphora, ad secundi loci principio propositi, nempe Psalmi (72) declarationem accedamus: *Sicut pluvia in vellus descendisti; et sicut stillicidia stillantia super terram*. Ad horum verborum intelligentiam oportet advertere, verba praedicta, et reliqua, quae in hoc Psalmo continentur, etsi Hebraei Davidi tanquam eorum auctori adscribant, et de Salomone, illiusque bona gubernatione interpretentur: sanctum Hieronymum in huius Psalmi prologo, et commentario, non Davidem fuisse auctorem, sed Salomonem, neque de Salomone, ut Hebraei volunt, sed ad litteram de Christo fore intelligendum, a sserore, Cui expositioni S. Augustinus, Cassiodorus, et Nicolaus Lyra suffragantur. Constat enim aperte, huius Psalmi verba claram esse de Christo prophetiam: nam de illo, de quo Psalms scribitur, sic ibi legitur: *Ante solem permanet nobilis eius*, hoc est, ante creationem solis iam ille nomen habebat, quod plane non Salomoni, sed Christo quatenus Deo, perquam optime convenit. Hoc ita constituto ait Salomon in Psalmo: *Sicut pluvia in vellus descendisti*, videlicet iam

a coelestibus orbibus, qui aere videbantur duriores, lapsa illa pluvia est, ab omnibus tantum desiderata, iam ab illo divino sublunatorio pectoris aeterni Patris stillavit, non angelorum aqua, sed pretiosior fortiorque liquor, nempe vinum, de quo per Michaeam (c. 2) Deus locutus fuerat: *Stillabo in vinum, et in ebrietatem*. Vinum stillatum illud est, quod ab ivis non pedibus compressis defluit in foveolar, quod est vehementius, quoniam ex potissimo uvarum succo, atque prima substantia exprimitur, et sua veluti sponte dimanat. Quare dum ait: *Stillabo in vinum*, hoc ait: Tibi dabo Filium meum, qui est lota mea virtus, et fortitudo, et mentis stillatio purissima. Cum autem stillatio liquoris guttatum fieri solet, nullibi maius prodigium, aut insusitatis miraculum invenitur, quam in hoc incarnationis mysterio: siquidem divinae naturae oceanus tam angustus se spatium compressit, ut in guttam unam eius vastitas, et immensitas reducta fuerit. Creaturas vocat Isaias (cap. 40) guttulas ex stillata manantes, inquit: *Ecce gentes quasi stilla stillatae*. Quoniam igitur eramus guttulae, Deus quoque voluit se ad guttulam reducere; unde illud Pauli (ad Philip. 2): *Exinanivit semetipsum: parvulum nempe se faciens, et quasi seipsum exhauriens, ac tanquam guttula se stillas in nostram utilitatem*. Sensus etiam esse potest verborum: *Descendit sicut pluvia in vellus*, nullo facto strepitu decidit. Ita divinum Verbum in vellus aureum viscerum sanctissimae Virginis tam silenter descendit, ut daemonem lateret, quod Nicolaus Lyra (in hui. loci comm.) sic attestatur: *Ita suaviter, et imperceptibiliter descendit in Virginem per suam Incarnationem, ut lateret daemonem. Et sicut pluviam vellus recipit, et eam emittit sine aliquo sui detrimento, aut divisione; ita Dei Filius multo mirabilius, quam pluvia, thalamum Virginis sine aliqua eius lesione, aut puritatis tactura intravit, et egressus est*: verba Nicolai sunt: *Sicut pluvia in vellere recipitur, et exprimitur sine corruptione velleri; sic Christus fuit conceptus, et natus sine corruptione Virginis, idque insinuant eiusdem Psalmi haec verba: Et sicut stillitidia stillantia super terram, id est tanquam ros super terram suaviter, et silenter decedit.*

Quoniam autem simpliciter a rore desumpta praesentis mysterio explicando plurimum accommodata est, aliquantulum in roris natura declaranda, et huic applicanda mysterio commoremur. Aiunt enim rerum naturalium scriptores, rorem ex aquarum exhalationibus, et terrae vaporibus in aere gigni, ubi guttulae illae crystallo similes fiunt, quae veno perstante in terram dilabuntur. Hoc modo divinum Verbum, tanquam a Patris sui exhalatione mirabili, quae ab eius divino pectore orta est, nec non ex humore rubeo purissimi sanguinis, quem Maria Virgo ad opus Incarnationis subministravit, compositus fuit ros, id est Christi corpus, personae divini Verbi unitum. Quapropter sicut luna roris est genitrix, ut scribit Bartholomaeus Anglicus (lib. 11, cap. 6), ita Virgo sanctissima, quam Spiritus sanctus vocat pulchram, ut lunam, huius saliferi rois ma-

ter, et genitrix est. Infer veterum fabulas, quod et refert Augustinus (lib. 1, Conf. c. 16), et scripsit Ovidius (lib. 4, Metam.), legitimus Iovem pulcherrimae cuiusdam puellae nomine Danae amore captum, quem pater Acrius cum turri inclusisset athenae, illa ut poterit Iupiter omnium doorum summus, ut credebatur vetustas, in rorem aureum mutatus corpori puellae illapsus fuit, ex cuius partu inelytas Perseus ortus est, qui Gorgonem interemit, cuius visa homines in lapides, et bestias vertebantur. Hoc praesenti mysterio ita potest accommodari. Iupiter, id est Iuvans Pater, figura esse potest divini Verbi, quod Isaias vocavit Patrem futuri saeculi, qui existens aerei saeculi, id est gratiae pater, Virginis, et filiae regis David amore captus, tanquam ros in eius virgine viscera penetravit, quod ipse per Oseam (c. 19) ita praedixerat: *Ero quasi ros, et Israel germinabit sicut lilium*. Ego Mariae viscibus illabar, tanquam ros, et illa tanquam odoriferum lilium germinabit. Ros enim quantum cadat super lilium, non illud decolorat, sed modico venti flamine ab eo decidit, et non minus pulchrum, quam antea reflagit illaesus. Hunc divini roris illapsus subsecuta est conceptio illius fortissimi ducis, qui tanquam alter Sampson moriens, suos quoque interemit inimicos, et non secus, ac David, qui giganti caput amputavit, immanissimo humani generis tyranno diabolo vitam eripuit, atque potentiam, qui multo verius, quam Gorgon, in lapides vertebat hominum corda, ne ullis Scripturis sancti allatibus moverentur, seipsos ad Deum convertentes.

Quod autem alii adiciunt guttas illas roris, quae a Iove pluebant, in aurum converti, vel esse aurum, praeclare Christo convenit: siquidem ut aurum ceteris metallis praestat, et apud omnes pretii maioris habetur; ita Christus summum in Ecclesia militante, et triumphante locum, atque gradum obtinet, cum utriusque sit caput, dicente Paulo (Eph. 4): *Ipsius dedit caput super omnem Ecclesiam*. Praeterea quemadmodum aurum est pretiosum, quo res emuntur; ita Christus pretium est, quo redempti sunt homines, et a miserabili satanae servitute liberati: et sicut aurum virtute in seipso omnia fortunae bona complectitur, quoniam omnibus aequivaleat, et per illud cetera omnia comparantur; ita Christus omnium bonorum, quo anima desiderare potest, summus thesaurus est, quippe in quem omnes Dei thesauri congesti fuerint. Unde anima hoc inmensum locupletata thesauro, vere potest dicere (Sap. 7): *Omnia bona venerunt mihi pariter cum illo*. Est etiam aurum super omnia metalla laudatum, et pulchrum; et Christus tam pulcher, et speciosus, ut de illo dixerit David (Psal. 44): *Speciosus forma, prae altis hominibus*. Et sicut aurum quando purum, et exploratum est, quavis in ignem mittatur, ac fortiter contundatur, nunquam pretium, aut pondus amittit; ita Christus licet in crucis incedere fuerit contusus, ac tot doloribus cruciatus, non est inventus minus habens, nec imminuta fuit eius dignitas, nec amissus pondus, ac pretium divinitatis. Et

sicut aurum, teste Bartholomaeo Anglico (lib. 16, cap. 5), eam habet naturam, ut dum tunditur, non ut aes, aut argentum, aliave metallata resonat; ita Christus undequaque concusus non aperuit os suum contra inimicos, nec auditum fuit verbum aliquod vindictae, aut querelae, sed potius, ut dixit Isaias (c. 53): *Tanquam agnus coram tendente se obmutuit*: et sicut aurum liquore dilutum, vel dulciariis commixtum, et degustatum dolentem animum reficit, atque recreat; ita Christus, qui eum digne comederit per sacramentum altaris, mirabili afficit laetitia, ac robur confirmabit. Ac tandem sicut aurum sine hominum industria, vel studio intra terrae viscera gignitur sola radiorum solarium ope, qui sine aliqua terrae laesione illud generat; ita Christus in terra sancta viscerum Mariae, sine aliqua viri industria, sola Spiritus sancti cooperatione, sine aliquo virgineae integritatis detrimento conceptus, et natus fuit.

Mirabiliter sanctus Iob, Spiritu divino correptus, de hoc sublimi rore ita locutus est: *Quis dedit vehementissimo imbro cursum, ut plueret super terram absque homine in deserto? Quis est pluviae pater, et quis genuit stillas roris? Quis impertivit ruri tantam velocitatem, ut momento temporis a caelo descenderet, quando Christi conceptio in instanti temporis intra Virginis thalamum facta, et celebrata fuit? Quis facere potuit, ut plueret super terram, et a pluvia, et rore foecundaretur, absque homine, et sine aliquo viri consorcio? siquidem non cognoscens virum in utero habens inventa est Virgo, sicut illa dixit (Luc. 1): *Quoniam virum non cognosco*. Quis denique huius pluviae roris pater est? Nemo certe. Quoniam Christus in terris patrem non habet, sed solum in caelis divinum.*

Multa quidem, qui de rebus naturalibus tractant, de rore commemorant, quae huic mysterio accommodari per me poterant; his tamen ore contentus, quae magis cum sacris litteris videntur convenire. Pretiosum lapidem, quem margaritam vocant, ex caelesti rore in concham maritimam dilapso cum auxilio radiorum solis animati generari. Unio est; et lapis pretiosissimus Christus, ac infini valoris margarita, quam ut comparemus, ipsemet omnia nostra iubet vendere, cum ait (Matth. 13): *Inventa una margarita, vendidit omnia quae habuit, et emit eam*. Generata ergo fuit haec divina margarita rore divini Verbi descendente in conchylis viscerum Mariae, radiis aeterni Solis adjuvantibus, per cuius generationem maioribus, quam coelum ipsum divitiis, atque thesauris terra coepletata, et ornata fuit. His addunt, qui de rore scribunt, quod etiam Anglicus (loco alleg.) refert, roris eam esse virtutem, ut animalibus veneficis impedimento sit, ne suum virus evomant. Quod a divino rore Christo praesidium agnoscimus, quoniam tabifici serpentis diaboli venenum cohibuit, et vires debilitavit, sicut dixit Isaias (c. 26): *Ros lucis, ros tuus, et terram gigantum detrahes in ruinam*. Praeterea roris est proprium, calor nimium aestum temperare: quod et divinum Verbum exhibuisse videmus, quoniam nostrae

susceptione naturae concupiscentiam carnis imminuit, et mitigavit, ut ab Spiritu sancto per Ecclesiasticum (c. 4) dictum est: *Ros obvians adducit in refrigerium gratiae*. In cuius rei figuram temperatus a Deo fuit ignis fornicis, missionis roris, dicente sacra Scriptura (Dan. 3): *Fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem*. Et sicut inter alias optimas roris virtutes ea maxima est, quod illius lapsa terra fertilior redditur, et foecundatur in uberrimo fructu; sic huius divini roris adventus praeterquam virginem terram Mariae ita mirabiliter foecundavit, ut pro fructu Dei Filium produxerit, incultam antea mundi totius sterilitatem reddens foecundissimam, et, ac tantis martyribus, confessoribus, et virginibus, quibus tanquam accepit roris fructu benefactorum respondit Ecclesia, et nunc laeta, et ornata gloriatur. Sunt etiam, qui dicit, verba Davidis explicantes (Psal. 146): *Qui dat viuentibus escam, et pulvis corvorum invocantibus eum, dum corvi pullos suos recens natos albis plumis vident, alimenta negare solitos, quod insolito plumarum colore suppositos sibi suspiciunt*: sed, ut refert Felengius, a natura provium, ut intra nidum, ab ipso, ut aiunt, corvorum calore verniculi generentur, quibus sustentantur. Alii muscarum esca vivere scribunt, donec iam corpore maiores a parentibus cognoscant. Sed Nicolaus Lyra, et Cassiodorus, nec non sanctus Hieronymus, et Ioannes Chrysostomus, aiunt, quod etiam affirmant, qui de rerum natura scriperunt, divinae providentiae beneficio pulvis corvorum rorem multi dulcissimum, quo in illa parentum desertione nutriantur. Hoc providentiae genus, quo Deus in quantum naturae auctor, uti dicitur, nobiscum, etiam in quantum gratiae largitor, observavit quandoquidem nos a primis parentibus derelictos, et propter illorum culpam originali iustitia, et reliquis, quae illam comitantur numeribus privatos intulit, propter suam paternae providentiae misericordiam dignatus est mirabilem divini Verbi rorem mittere, ut omnis nostra inopia dilaretur, ac reliqua mala, quae patiebamur innumera, depellerentur. Hic enim si fame urgemur, noster est eibus; si servi, nostra redemptio; si rudes, et insipientes, nostra sapientia; si pauperes, et inopes, nostra ubertas, et affluentia; si debiles, et infirmi, nostra fortitudo, et praesidium; si denique afflicti, unica omnium consolatio, praebens interim spem certissimam aeternae felicitatis, seipsum nobis promittens praemium fidei, laboriosae mercedem. Sed ut iam dicendum finem faciam, hic est ille ros, qui antiquorum Patrum stilim explevit, dicentium: *Rorate coeli desuper, et nubes pluant iustum, etc.* Hic est ros, per quem nobis praestitum, ut patriarchae Isaac benedictionem consequamur, cum filio suo dixit: *Det tibi Deus de rore coeli, et de pinguedine terrae*. Siquidem in Christo vere, et cumulatissime datur nobis de rore coeli per Incarnationem Verbum, et de pinguedine terrae per Virginem, ex qua tanquam ex terra purissima talis nascitur fructus, ut non terrae, sed coeli nomine videatur appellanda parvens unigenitum Filium, qui Deus, et homo est ho-

mo quidem, de coelo coelestis, ut ait d. Paulus; qui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA VII.

Quantum in hoc supremo Incarnationis mysterio bonitas Dei, sapientia, et omnipotentia cluceat.

Quamvis illa Dionysii Areopagitae sententia plurimum frequens sit, quam ille de divinis nominibus scribens protulit: *Bonum est diffusivum sui* — non possum non eam nunc usurpare, praesentem homiliam exordians. Nam si bonitas communicatione digoscitur, vere utique dicere poterimus, nullo in opere divinam bonitatem magis, quam in divini Verbi Incarnatione splenduisse, cum nulla prorsus haec maior queat esse communicatio. Nam si verum est, bonitatem esse principium, atque radicem communicationis, quid aliud inde possumus intelligere, nisi a Dei bonitate divinam misericordiam fuisse sollicitam, ut sui ipsius summam faceret communicationem? Hebraei ut Josephus refert contra Apionem, Deum non ea potissimum de causa precabantur, ut Dei divina benignitas eis sua bona communicaret, sed ut ipsos ad illa recipienda, et ad illorum bonum usum disponerent, et praepararet: nam cum summe bonus, et nequaquam parvus sit, de illius effusa liberalitate, ac bonorum largitate minime dubitabant. Sanctus Thomas in opusculo sexagesimo tria refert communicationis genera, per quae Deus se creaturis suis communicavit. Quarum prima est, quando similes, ac terminis naturae Deus non transgrediens, conservans naturae ordinem se illis communicat. Secunda est per gratiam, faciens eas divinae naturae consortes, ut dixit Apostolorum princeps. Tertia est communicatio, qua propriam personam humanitati Christi in unitate suppositi copulavit, quod in opere Incarnationis exhibuit. Haec autem suprema est omnium communicatio, et quae ceteris omnibus valde praeclit: siquidem per eam homo fit Dei filius non adoptivus, sed naturalis, et consequenter omnium divinorum attributorum, et perfectionum, quae Dei naturae conveniunt, dignitatem asequitur. Quin etiam maiori stupore dignum est, cum in communicatione, quae fuit, et est in Deo ad intra, fuerit impossibile, ut una persona communicaret alteri suam propriam personalitatem, quoniam divinorum distinctio suppositorum non admittit talem communicationem, at in hoc Incarnationis mysterio fit, ut divinum Verbum propriam personam humanitati Christi communicet. Itaque, quod illic communicari non potuit, hic Deus communicavit, ut hoc modo, non solum eius essentia, sicut in Filii generatione, et Spiritus sancti processione fides catholica confitetur, sed etiam eius persona communicata sit, et consequenter nihil sit in Deo, quod possit con-

venienter ad nostram salutem communicari, quod non communicetur. Quoniam, etsi verum est, reliquas duas divinas personas naturae, tam humanae, quam angelicae se potissime communicare, non tamen id expediebat, quod ad humanitatis Christi excellentiam pertinet, esse in hac gratia unam, et singularem. Hinc ergo sanctus Augustinus (*lib. 10. de Civitate Dei cap. 29*), quantum in hoc divino mysterio Incarnationis se Dei bonitas, et liberalitas aperiat, contemplatus inquit: *Gratia Dei non potuit gratis commendari, quam quod Filius Dei manens immutabilis induerit hominem; et (serm. 8. de ver. Apost.) dixit: Si humanus dicitur, qui in domo sua suscepit hominem, quam humanus est, qui in seipso suscepit hominem? Verumtamen, quod magis ponderis est, et animadversione dignissimum, ad explicandam bonitatem Dei, in hoc Incarnationis beneficio plurimum effulgentem, illud est, quod se Christus nostrae coniunxerit humanitati, et in illa, et per illam seipsum universis creaturis univerſi dicente Thoma: *Communicavit se Christus homini, et per consequens generibus singulorum in unitate personae*. Cuius veritatis fundamentum est, quod homo est omnium creaturarum compendium, iuxta Gregorii verba: *Omnis creaturae aliquid habet homo*. Ac propterea illum Deus post omnium rerum creationem condidit, imitatus quodam modo calculatores, qui in calce paginae summam omnium numerorum conficiunt, quae reliquis paginae numeris acquipollet. Quae doctrina, et assertio inde liquet, quod homo cum rebus animae carentibus convenit, commune habens esse cum lapidibus, vivere cum plantis, sentire cum animalibus, intelligere cum angelis. Sed in huius rei assignanda ratione Mercurius Trismegistus longius progressus est, vocans mundum hominem magnum, et hominem mundum parvum, quod Basilii, et Isidori, idem referentes, a Mercurio videntur accepisse. Prudenter quidem hominem vocaverunt parvum mundum, cum singularis conceptus, et mirabilis similitudo sit, quae in hominis, atque mundi comparatione reperitur: corpus enim respondet terrae, ex qua formatum fuit; virtus digerens aquae, quoniam alimenta deducit, ideoque a philosophis vehiculum cibi nuncupatur; nutrens facultas aeri conformis est, quo respiramus; augendi vis, et calor respondet igni; generandi facultas lunae circulo, quae mater est rerum inferiorum; intuitiva potentia Mercurii coelo planetarum velocissimi motus: tactus tertio Veneris orbi; gustus quarto Solis circulo, qui est omnium alimentorum, quae a terra gignuntur, pater, et genitor, siquidem illo absente nihil in terris maturesceret; olfactus quinto Martis planetae magnae siccitatis, quae quantitas in odoribus dominatur; visus circulo Iovis, cuius influxus, praeter alios quos memorat astrologi, aeren serenat, visibiles species multiplicat: auditus septimo Saturni planetae, qui tristis est, et melancholicus, quoniam moeror ut plurimum ex his, quae audiuntur, nostro studio, aut voluntati contraria, provenire solet; imaginandi facultas octavo Firmamenti orbi, quoniam sicut stellis variatum, et caelum*

est, sic imaginatio variis rerum distincta imaginibus, quas tanquam species sensus mittit ad intellectum, et ad quas ille accurrit, tanquam ad exemplar, in quo videat, quod optat intelligere, iuxta dictum philosophi: *Oportet intelligentem phantasmatum speculari*. Et tandem rationi, intellectui, et menti, quae communis est theologorum divisio, reliqui tres orbes caelestes respondent: rationi nempe crystallinum coelum propter claritatem, quae fulget; intellectui primum mobile propter celeritatem, quae cursum pergit; menti, quae in altum rapitur, et evolat ad res sublimes, respondet coelum empyreum, quod reliquos orbes celsitate superat, et transcendit. Quod si volumus maioris mundi paribus intelligentias spirituales annunciarere, quae efficaci suae voluntatis imperio caelestes orbes movent, inveniemus, posse non incommode parvo mundo, nempe homini, accommodari: siquidem libero ille gaudet arbitrio, quo movet potentias animae, quae a ratione illuminata eas regit, et moderatur. Nam quemadmodum inclytus quidam pictor, ut refert Cicero, pulcherrimum iussu Alexandri reformaturus Helene simulacrum, ab omnibus, ac singulis pulcherrimis sui temporis virginibus, quod excellentius, et venustius erat, desumpsit, atque illa quam optarat, imaginem expressit absolutissimam; sic Deus creaturus hominem, quidquid in rebus creatis erat perfectionis, et excellentiae, collegisse, ac decerpisse videtur, ut in hominem, tanquam in parvum mundum congereret. Merito igitur ait Anastasius: *Homo in sua natura fert imaginem omnis creaturae*. Sed iam ad propositum veniamus. Si homo, ut dixi, est parvus mundus, ideoque in illo omnes creaturarum gradus, sive caelestis, sive terrestris, aut angelicae naturae sint, cernimus reperiri, consequens pariter est, dum Verbum divinum sibi naturam coniunxit humanam, in illa etiam coniunctione, et per illam eas honoravisse, nobilitasse, et in summam dignitatis locum extulisse. Hinc enim ait Ioannes Damascenus de nativitate Virginis: *Creator naturam omnem interiectae humanitatis beneficio in melius commutavit*. Quibus verbis in eiusdem veritatis confirmationem cardinalis Caletanus sua haec etiam adiunxit: *Incarnatio est elevatio totius universi in divinam personam*. In mysterio Incarnationis omnes creaturae, tanquam flumina in mare ad auctorem suum Deum, unde orta fuerant, refluxerunt, mediante humanitate Christi in quo tanquam in compendio erat omnis creatura: qua certe unione ad multo altiorum, quam antea locum homo, et universa natura ascendit.

Hinc assam arripere volo explicandi verba Davidis (*Psal. 109*), ubi, etsi nostra vulgata legit: *Tecum principium in die virtutis tuae*, advertendum est ab aliis legi: *Tecum liberalitates in die virtutis tuae*: quoniam Hebraea vox utrumque significat. Non me laet, a nonnullis hunc locum intelligi de generatione Filii aeternae: nam verba illa, *Tecum principium etc.* referunt ad Patrem, in quo summa liberalitas elucet, propter summam communicationem, qua reliquis divinis personis divinam naturam communicavit, sine aliqua retribu-

tionis spe; in qua re praecipue virtus liberalitatis effulget. Verumtamen non convenit haec expositio: nam iuxta rigorem scholasticum loquendo, liberalitas est liberae potestatis actus quatenus talis, et ubi adest necessitas, non est proprie liberalitas, sed melancholica; qualis est solis illuminantis, et ignis calefacientis. Patre igitur aeterno reliquis personis naturam divinam necessario communicante, non potest illa communicatio proprie vocari liberalitas. Non desunt, qui eadem verba de Filio interpretentur, quom considerans David tam liberalem, ut se rebus creatis communicaret, quod et Ioannes Evangelista dixit: *Omnia per ipsum facta sunt*, sic eum alloquitur: *Tecum liberalitates in die virtutis tuae*: quod idem est, ac si diceret, in ipsa mundi creatione, quando in Domine summam tuam delectare omnipotentiam voluisti, tuum mille modis liberalitatem etiam tuam aperuisti. Sed alii expositores melius, et accommodatius nostro proposito dixerunt, verba illa ad generationem Christi in tempore factam pertinere, quando intra suae matris viscera homo fieri dignatus est: tunc enim vere, et opportune dicit de illo potest: *Tecum liberalitates in die virtutis tuae*: quoniam dies Incarnationis vere fuit dies, in quo manifestissime virtus divinae omnipotentiae, et summa eius liberalitas eluxit. Itaque merito ait David de Christo loquens: *Tecum liberalitates*, quoniam hinc immensus magnificentiam suam, et largitatem explicuit. Nec dicit, *Tecum liberalitas* singulariter, sed pluraliter, *Tecum liberalitates*, quoniam non fuit liberalitas tantum quoad naturam humanam, sed quoad reliquas etiam mundi creaturas; siquidem omnibus suam personam divinam praebebat illam communicans humanitati Christi, quem Paulus vocavit, *Verbum abbreviatum*. Nec defuit hic liberalitatis excellentia, atque perfectio dantis, sine spe retributionis: quis enim unquam potuit Deo retribuere, nisi quod ab illo prius acceperit? ut scriptum est (*Rom. 11*): *Quis prior dedit ei, et retribuatur?* Si ergo bonitas elucet per communicationem, et haec in Deo tam ampla, et magna fuit, ut super omnia seipsum effundens, largiens rebus a se creatis non iam esse participationis, ut in creatione, sed esse proprium per essentiam, unicus se personaliter humanae naturae, in qua, ut diximus, reliquae creaturae sunt salta, certe liquet, in hoc Incarnationis opere divinam eminenter splendescere bonitatem.

Discutiamus nunc, quomodo pariter cum bonitate luceat divina sapientia: quod ut facilius praestemus, doctrinam sancti Bernardi (*ser. 7. super Cantica*), Basilii (*ser. de incidi.*), et Gregorii (*in orat. catech. c. 7*) sequamur. Hic enim antiquissimum Luciferi contra Christum similitatem, et invidiam esse dicunt, quoniam Pater aeternus cum Lucifero, ac reliquis Christum proponeret, tanquam proprium eorum Dominum, ac Regem adorandum, id illi propter superbiam facere noluerant, quod sibi videretur indignum, qui angeli essent, si hominem adorarent; ducti etiam invidia sanctissimae, quae in Christo erat, humanitatis, quam ad naturam divinam erigi, et extolli videbant:

quod illorum peccatum fuit, ut precitati Patres antumant. Scio hanc sententiam displicere nonnullis theologorum; magnum tamen proculdubio est illius fundamentum, cum dicat Paulus (ad Hebr. 1) scribens: *Et cum iterum introducit principentium in ordiem terrae, dicit, et adoret eum omnes angeli eius.* Quare cum iterum, ut ait Paulus, praecipitur angelis Christum adorare, manifestum est, iam eis prius fuisse mandatum, quando in coelo, antequam divini Verbi Incarnatio executioni mandaretur, eis proposita fuerat. Secundo horum Patrum sententia Christi verbis falcitur apud Ioannem (cap. 8): *Vos ex patre diabolo estis, et desideria eius vultis perficere: ille homicida fuit a principio.* Vos estis Luciferi filii legitimi, et tanquam eius spiritus haeredes, illius studia prosequi curatis, et sicut ille a principio me cupivit occidere, sic etiam vos mihi eripere vitam studeitis. Vaticinabatur Lucifer ingens damnum, quod illi Dei Filius, si nostram carnem assumeret, inferre poterat, et ita summo conatu, ne homo fieret, et postquam factus homo, ne viveret, procuravit. Non alius diaboli scopus, aut finis erat, quando ad peccati malitiam primum hominem induxit. Crediti enim, si totam infeccisset peccati labe naturam, illius foeditatem Deo nauseam movere posse, ne fieret homo, vel cum illo sic deformato cohabitare dignaretur: quod ut facilius assequi posset, quoniam difficile videbatur esse victoriam, si Adam ipsum prius adoriretur, ut solet urbem aliquam expugnaturus debiliorem muri pariter, aggreditur Evam, nempe quoniam inferioris erat ingenii, ut illam superans reliquum innocentiae propugnaculum occuparet, et utrumque a felicissima tanti boni possessione deiceret. Usus mihi videtur diabolus haec in re paucorum Hispanorum dolo, et industria, qui ut volucres capiant, costam et rete cibo supposito parantes, avibus tendunt insidias, quo illae advolantes, et cibum captantes decedente costa capiuntur. Mulier de costa Adami formata fuit, in ea diabolus paravit dolum, verbis illis fallacissimis Evam irreligiens, *Nequaquam morimini: usus etiam tanquam illecebra verbis sequentibus, Eritis sicut Dei.* Cadens igitur costa, id est Eva, secum pariter Adamum trahit in ruinam, et in eo infeliciter capto totum hominum genus involvit. Est qui ad hanc rem Davidis illa verba, quae (in Psal. 56) leguntur, applicari posse dicat, verissime namque dicere poterat tunc Adam: *Laqueum paraverunt pedibus meis, et incuraverunt animam meam.* At licet verum sit, daemone executioni mandasse quod optabat, totam humanam naturam peccato deturpans; non tamen propositum sibi finem est adeptus, ut Dei Filius nostram non assumeret humanitatem: nam ipsamet peccati nostri calamitas Deum attraxit, et excitavit ad misericordiam, ut nobis suum Filium unigenitum daret, unicum huius gravissimi damni remedium. Quod adeo verum aliqui Patres affirmant, ut Adam non peccante, Dei Filium carnem non accepturum fuisse arbitrentur. Ita docet sanctus Thomas (3. p. q. 1. a. 3), et ante illum Augustinus (sup. cap. 1. Matt.) item as-

seruerat, quod verba illa Matthaei, *Ipsae enim saluum faciet populum suum, explicans ait: Si homo non peccasset, Virgo non peperisset.* Et sanctus Leo Papa (serm. 3. de Pentec.) dixit: *Si homo, qui ad imaginem Dei factus est, in pristino suo honore permansisset, Creator creatura non fieret.* Itaque medio, quod diabolus ad impediendum consilium Incarnationis usurpavit, Deus, ut eam exequeretur, usus est: ut optime in adversarium humani generis retorqueri polest vetus adagium: *Ipsa sibi avis mortem creat:* quod inde habet originem, quoniam, ut Aristoteles tradit (lib. 5. de hist. anim.), viscum, quo aves capiuntur, ex earum fit excrementis, atque ita ipsamet morti suae materiam subministrant. Non aliter diabolus, quem Christus vocavit avem rapasem in parabola seminis, naturam hominis inficiens, ut peccati deformitate divini Verbi unionem impediret, occasionem dedit misericordiae divinae, ut Filium suum mitteret, a quo tanta factura resciretur, et illata per diaboli fraudem hominibus detrimenta restituerentur. Qua in re completum vere fuit quod sancta cantat Ecclesia: *Ars ut artem falleret, et medellam ferret inde hostis unde laeseret.* Vicit enim ars divinae sapientiae dolum astutiae satanae, et faciens ex ipso daemone veneno saluiferum antidotum, quam reportavit ab hoste, victoriam reddidit illustriorem. Nam ut ait Servius: *Gloriosus victoriae genus est, quod propriis adversariis a nobis devicti armis adipiscimur.* Unde quavis David offerre Deo poterat fundam, et lapides, quibus Philistaeum deiecerat, ac superaverat, gladium offerre maluit, iudicans honorem saae victoriae maiorem, propterea armis ipsius hostis eum iugulasse, i deoque non fundam, sed gladium in Dei templum attulit, et dicebat. Hoc idem fuit divinae sapientiae consilium, dum expugnat diabolum eisdem armis, quibus hominem occiderat: videlicet occasione peccati, inde sumens causam efficiendi, quod ille caraverat impedire. Optimo ergo iure dicere contra nostrum adversarium poterimus, illum irridentes, vulgata illa duo proverbialia: *Ut gladio te iugulasti: et illud aliud: Consilium malum consultori pessimum.* Nec erit extra rem, si daemoni convenire dicamus Iuliani Imperatoris emblema, qui aquilam sagittis, quae ipsius pennis ornabantur, transfixam depinxit cum hac inscriptione: *Ab ipsa, contra ipsam, id est ab illa nascitur, quod illum interimit.* Non enim aliter contigit nostro adversario, quippe ab illo egressum est malum consilium, quod peccare homini suavit, nunc autem idem consideratum, quatenus fuit Incarnationis Filii Dei occasio, ipsi inventori, et artificio diabolo sagitta lethalis fuit, quae eius viscera transverberat, et per omnem transfiget aeternitatem.

Eluxit etiam in hoc sublimi mysterio eadem divina sapientia, inveniens medium, et exitum rei tam impeditae, atque difficilis, qualis erat divinae misericordiae, atque iustitiae satisfactio, sic temperans utrumque, ut neutri fieret iniuria: quod sanctus Ioannes Damascenus his verbis declaravit: *Rei perquam difficulti, et perplexae convenientissimum exitum Deus invenit.* Ac sanctus Thomas (in opus. et.)

aliam superioribus rationem adiungit, inquires: *Quid sapientius, quam quod ad completionem totius universi ferret coniuncto primi, et ultimi? hoc est Verbi quod omnium principium est, et naturae humanae, quae in operibus sex dierum fuit ultima omnium creaturarum.*

Inspiciamus iam nunc pro huius homiliae ultima parte, quantum in hoc sublimi mysterio Dei omnipotentia fulgeat, quae tanto operi manum admovit. De qua re s. Thomas (in opus. scz. cap. 1) inquit: *Magna potentia in coniunctione disparium elementorum, maior in coniunctione illorum ad spiritum creatum, maxima vero ad spiritum increatum.* Plurimum certe se potestas insinuat in dissimilium rerum confederatione, et ita placida unione, ut nunquam se mutuo destruant, et nullo magis, et clarius se ostendit in animae, quae tota spiritus est, coniunctione cum corpore; at in unione humanae naturae cum increato spiritu, quod est Verbum aeternum, mirabilius, et excellentius effulget. Haec divi Thomae philosophandi ratio potest etiam confirmari, quoniam elementa, etsi contrariis constent qualitatibus, in quibusdam tamen conveniunt: nam terra convenit siccitate cum igne, aqua humiditate cum aere; Deus autem, et homo omnino distant, quoniam ille sempiternus, hic temporis subiectus; ille immortalis, hic mortui obnoxius; ille spiritus, hic corporeus; ille immutabilis, hic inconstans; ille creator, hic creatura: tandem ille fortis, et invictus, hic debilis, et ipsamet infirmitas. Quis etiam non videt inter elementa quavis aliqua reperitur conformitas, non tamen reperiri in eis unitatem suppositi, qualis inter naturam divinam, et humanam invenitur? Quod si progrediamur ad spiritum cum corpore coniunctionem speculandam, quae in hominis creatione facta fuit, videbimus Dei omnipotentiam multo minus in ea, quam in verbi Incarnatione lucrere: quoniam si dum homo formabatur de limo, ascendit limus ad naturam hominis; in hac Dei, et hominis coniunctione idem limus ad ipsius Dei naturam ascendit. Ad haec, si spiritus, et corpus extrema sunt valde disiuncta, nec bene conformia, ut dixit Paulus, non tamen caret appetitui naturali se iungendi, ac propterea quando separantur, illorum divisio corpori mors, animo dolor instar mortis est: horum ergo extremorum unio non tam difficile fit, quantum divini Verbi coniunctio, quoniam humanae naturae non inerat appetitus, vel naturalis potentia id pati apta, sed tantum inerat facultas obedientiae, seu quam vocant theologi, obedientialis, subordinata soli Dei omnipotentiae, quatenus illa causa supernaturaliter agens, et gratiae auctor est. Praeterea se habent duo haec extrema animae ac corporis, sicut materia, et forma, actus, et potentia: unde illorum unio fit per informationem; Verbum autem divinum non est humanae naturae forma, neque illam informat, sed terminat dependentiam humanitatis ab illo, quam in se ipso solo sustentat: nam etsi Pater, et Spiritus sanctus cum Filio fuerunt principium, et causa efficiens unionis, praebere tamen propriam personam pro humanitatis supposito ad

solum Filium pertinuit, nec aliae duae personae mueri terminandi naturam per proprias suas hypostasies se admiscuerunt. Praeclare hoc ipsum sanctus Bonaventura (3. d. 1. q. 2) declaravit similitudine trium sororum eandem domum incolentium, quarum una danda nuptui foret, ideoque praesertim illa nuptiales vestes perficere festinaret, ab aliis tamen duabus in absolvendo penso, et confectione indumentorum iuvaretur: nam licet omnes tres in opere laboraverint, una tantum ex tribus sororibus vestem induit nuptialem, et ad nuptias processit. Hoc etiam modo tres divinae personae assumendae humanitatis fuerunt causa, solus tamen Filius accepit vestem nostrae mortalitatis, ab omnibus tamen tribus multiplici perfectione ornata, et gratiae naturaeque muneribus cumulata. Alexander Ales (p. 3. q. 4. memb. 2) in hanc rem affert exemplum Samsonis, qui a parentibus quiescit tam sibi sponsam solus ipse duxit uxorem. Sed ad sancti Thomae doctrinam redeuntes, asserimus ex praedictis constare, in ipsa Verbi divini cum humana natura coniunctione Dei omnipotentiam magis apparere, quam in elemento; vel in ipsa spiritu, et carnis unione; imo magis quam in totius mundi creatione, quemadmodum in sacrificio Missae quotidie constitit Ecclesia dicens: *Deus, qui humanae naturae substantiam mirabiliter condidisti, et mirabiliter reformasti: quod his verbis praenotavit David (Psal. 13): Prosperit Dominus de caelo sancto suo, Dominus de caelo in terram asperit, ut audiret gemitus compeditorum.* Non ignoro literae sensum esse, Dominum a sublimi coeli empyrei throno miseriam hominum prospexisse, ut carcere detentis, id est peccatoribus, auxiliaretur. Nam Incognitus (sup. eiusdem Psal. verb.) per compeditos intelligit peccatores, iuxta illud (Proverb. cap. 5): *Funibus peccatorum suorum quisque constringitur.* Cassiodorus vero super eundem locum nomine compeditorum intelligit iustos, quibus divina praecipua compedes, et vincula sunt, quae ab Spiritu sancto vocantur *alligatura salutis*: illis enim, tanquam compeditis voluntariis, retinentur. Sed magis ille pater Gregorius haec eadem verba explicans, de mysterio Incarnationis interpretatur; quod ut faciat, Dei Filium Patris vocat *oculum*, quoniam illius est infinita sapientia, cuius visus ad omnia praeterita, praesentia, et futura, tam facta, quam quae fieri possunt, extenditur. Unde volens, referet Hierius de oculo loquens, Dei sapientiam intelligebant per oculum; per acceptum autem, cum superpositus erat oculus, eiusdem potentiam interpretabantur. Hinc etiam Plato solem vocabat *oculum mundi*, quoniam quiddam in mundo est, eius lumine collustratur. Sed magis proprie, et aemul solis, vocatur Dei Filius oculus, eum aeterni Patris sit splendor, et lux, quae quiddam in mundo est illuminatur, ipso attestante, *Ego sum lux mundi.* Dum ergo David ait oculos Dei in terram prospexisse, indicat, teste Gregorio, fore, ut illius sapientia, quae unigenitus Filius est, in mundum veniret ad audiendos gemitus compeditorum, donans servis libertatem, et la-

crimas ab eorum oculis absdergens. Quo etiam sensu Cassiodorus eadem verba Davidici Psalmi exponit, ubi per terram, quam Dominus prospexisse dicitur, intelligit corpus humanum, quod Filius Dei erat assumpturus. *Ad instaurandam*, inquit, *nostri corporis massam descensusur aspexit*. Quod si attente consideramus, ingeniosa metaphora est, qua Dei oculi carnem intueri dicuntur, ut inde Verbi divini intelligatur Incarnatio: nam dum oculi aliquid intuentur, similitudine rei vestiuntur, unientes sibi illius imaginem; et cum Verbum divinum, quod est Dei oculus, carnem assumpsit, factus in similitudinem hominum, hoc eum nomine Paulus Christi humanitatem appellavit, dicens, *In similitudinem hominum factus*, inde est, quod Dei oculi terram, ut ait David, sive corpus nostrum, ut exposuit Cassiodorus, intueri dicuntur, ut suscepta a Verbo divino caro nostra significetur. Nam quemadmodum, ut dixit Philosophus, ex obiecto, et potentia fit unum; sic ex Verbo, quod est oculus Dei, et ex carne, quam aspexit, unum Dei, et hominis verum suppositum processit. Notandum etiam plurimum ad nostrum propositum, quod propheta David significatur, quantum in hoc mysterio Incarnationis Dei omnipotentia luceat, coelum et terram coniunxit, quae longissimo spatio distinguntur. Nam Deus ostensus, quantum ab hominum cogitationibus sua consilia separantur, dixit (*Isai. 55*): *Sicut exaltantur caeli a terra, sic exaltantur cogitationes meae a cogitationibus vestris*. Dicit quoque vulgo solet, ut magna distantia, et dissimilitudo rei alienius ostendatur, tanto distare intervallo, quanto coelum a terra dividitur. Huius hyperbolis fundamentum est, quod quanto minus extrema conveniunt, tanto maior est difficultas continuationis, ut experimur in igne, et aqua, quae cum in re non conveniant, coire nesciunt, quin aqua extinguat ignem, vel ab igne aqua consumatur. In extremis autem, quae inter se aliquo modo concordant, contra solet accidere, ac facilius est unius ad alterum transigratio, scribente Philosopho, in symbolizantibus facilis est transitus. Quod accidere videmus aeri, qui facile accenditur, cuius flamma si extinguatur, non difficulter in aërem convertitur. At coelum, et terra, cum nulla in re concordent, quantum maxime distant, et extrema sunt prae ceteris omnibus separata, tam locorum intervallo, et quantitate, quam utriusque rei natura, et qualitate, fieri nequaquam potest, ut coelum cum terra iungatur. Significatur igitur David, quantum Dei omnipotentia in duorum extremorum, Verbi nempe, et carnis inter se convenientium unione respiciat, inquit, hoc tantum miraculum Incarnationis fuisse difficultius, quam si coelum cum terra fuisset unum, quod opus propter summam difficultatem pertinet ad solam Dei omnipotentiam. Id satis David cognoverat, quando rogans Deum, ut nostram assumeret naturam, dixit: *Excita potentiam tuam, et veni, ut salvos facias nos*; hoc est omnes vires tuas adhibe clementissimi Deus, et quantum valeat potentia tua consequi, nunc ostende; quippe tota erit tibi in tanto opere

necessaria, ut in terram descendens, eam coelo, id est tibi, coniungas, ut terrae filios homines redimas. Id contemplatus Augustinus (*ad Valusian.*) dixit: *Tota ratio facti est potentia facientis*. Quomodo autem id veri sanctissime? Numquid sapientia Dei, et bonitas ab hoc opere exclusa? nullo modo. Numquid iustitia, et misericordia huius mysterii non fere particeps? Non est dubium. Cur igitur non dixisti totam facti rationem esse facientis sapientiam, bonitatem, misericordiam? Causa est, quoniam Dei omnipotentia fuit consilii de humanitate a Deo accipienda efficacis exequutrix, et virtute sua omnes repulit difficultates, quae in tantorum extremorum, Dei videlicet, et carnis copulatione aderant; atque ideo ait Augustinus (*ibid.*): *Tota ratio facti est potentia facientis*. Quae septentia, et omnia, quae diximus, ut magis confirmetur, maxime advertendum est. Spiritum sanctum, dum operibus divinis nomen imponeret, coelos opera digitorum Dei vocavisse, cum dixit (*Psalm. 8*): *Vi debet coelos tuos, opera digitorum tuorum*. Terrae autem creationem unius manus operis (*Psalm. 94*): *In manu tua sunt omnes fines terrae*. Parvi autem mundi, nempe hominis fictionem a duabus manibus Dei processisse; unde ait Iob (*cap. 40*): *Manus tuae fecerunt me*; ac si diceret, una manus tua, Domine, corpus meum finxit, altera creavit animam. Ad Incarnationis mysterium non digitorum opus, non manus, neque manuum, sed brachii Dei appellat Spiritus sanctus per Mariam Virginem, dicentem (*Luc. 1*): *Fecit potentiam in brachio suo*. Quibus verbis declaratur, totam a Deo potentiam in hoc peragendo mysterio sic adhibitam, ut nihil ab eo manus, nihil mirabilius, nihil denique divinius queat expectari: Nam excepta creatione etsi dubium non est, Deum quondam potentiam brachii sui declarasse praeteris aliquot editis operibus, non tamen a solo brachio suo effecta sunt. Centum vitam octoginta quinque hominum millibus intem si nocte una Deus ademittit in castris Semacherib, id angeli executus est ministerio, ut ait Scriptura (*4. Reg. 19*): *Veni angelus, et percussit centum octoginta quinque milia*. Si terram universam immensis aequarum imbribus obruit, et eos liberavit, qui arcem cum Noe sunt ingressi, id aperientis coeli cataractas effecit, sicut scriptum est (*Genes. 7*): *Cataractae coeli apertae sunt, et facta est pluvia super terram*. Urbes, quas incendio conflagrare iussit, igne, ac sulphure coelitus missis punivit (*Genes. 19*): *Nam pluit Dominus super Sodomam, et Gomorrhiam sulphur, et ignem de coelo*. Amorphaeorum tandem si dissipavit exercitum, misit, ut in Scriptura legitur (*Isos 10*), *lapides magnos de coelo*. Itaque nihil horum sola sui brachii potentia fecit, quoniam praeservatus fuerat illius usus ad omnium maximum opus, divini scilicet Verbi Incarnationem, ut ex Virginis verbis constare diximus (*Luc. 1*): *Fecit potentiam in brachio suo*. Hinc etiam est, quod ad indicandum huius operis excellentiam paranyphus, sive legatus, quem Deus elegit de mysterii executione tractaturum, archangelus fuit Gabriel, cuius nominis significatio est fortitudo

Dei. Hanc denique brachii divini potentiam sanctus Basilius (*sup. Psalm. 44*) admiratus, dum longum de operibus Dei catalogum texit, ait: *Non haec usque adeo evidenter exprimentur divini Verbi potentiam, quantum dispensatio assumptae carnis; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.*

HOMILIA VIII.

Quantum divinus amor in mysterio Incarnationis effulgeat.

Etsi verum est, quod praestantissimus philosophus Plato de humano amore scripsit, dum ait: Amorem oriri a re amata, quod sagittae, quibus vulnerat, spiritus quidam sint, vel tenuissimi radii, qui ab intimis rei dilectae praecordii per oculos egressi, et in amantis animam oculis pariter admissi penetrantes, cordis sanguinem accendant, et amantes efficiant; etsi, inquam, vera haec humano in amore essent, prout Plato opinabatur; non tamen in divino, ubi ordine inverso amoris flamma producit. Amor enim Dei erga nos ab ipso, non a nobis habet initium, dicente Iohanne (*1. Ioan. 4*): *Non quasi nos prius dilexerimus eum, sed quia ipse prior dilexit nos*: quod idem est, ac si diceret: Nullis ille humanae naturae meritis eam sic ardens amavit, ut esse quodammodo solus, absque carnis nostrae consortio sibi videretur, sicut de ipso metaphorice loquens ait (*Ioann. 12*): *Nisi granum frumenti mortuum fuerit, ipsum solum manet*. Quae res singulariter ingenuam eius amorem insinuat, quoniam licet Deus solus unus sit, non tamen solitarius, cum intra propriam Dei substantiam tres divinae personae reperiantur, inter quas summa est communicatio, et artissima societas: unde Christus apud Iohannem (*cap. 5*) dixit: *Ego solus non sum, sed Pater est in me*. Quod si loquamur de angelis, qui eum comitantur, minus dicitur solitarius, quippe tanto sunt numero, ut eos Daniel nullo comprehendi posse numero animadvertens de illis dixerit (*Dan. 7*): *Milia millium, et decies centena milia*. Cui rei si adiciamus, quod ipse Dominus vocat se centum ovium Pastorem, qui una depedita, humana videlicet natura, reliquas novaginta novem oves habebat, hoc est novem choros angelicos, multo quidem magis illius in nos amorem admirabimur. Quomodo enim, quoniam illi una tantum deficit ovis, et ea quidem pretii minoris, ac praeceteris fere nullius aestimationis, ait, se absque illius societate solus esse mensorum? Id ut intelligamus, accomodatissimum erit exemplum Iacob, qui dum amantissimus eius filius Benjamin in Aegyptum deportabatur, decem alios habens filios, omnibus privatus sibi videbatur, quoniam deliciis suis Benjamin privabatur: unde inquit dolore percussus (*Genes. 47*): *Ego autem quasi orbatus absque liberis ero*. Sic Deus, etsi magnos, et parvos habet filios quamplurimos,

quorum maxima pars in Ecclesia triumphante feliciter degentes in gloria constituti amplissimis opibus abundat; pars vero paupertate, ac miseris plena in terris degit, homines videlicet; hos tamen, tanquam Iacob Benjamin, diligit, ut illis sit carcat, absque liberis esse videatur. Hos enim, ut apud se haberet, domum suam in Israel constituit, templum videlicet, in quo ignis arderet inextinctus. Et quoniam populus Israeliticus non semper eodem loco manebat, fecit domum suam portatilem, nempe arcam Testamenti, qua populum comitatus varia itinera suscepit. Sed cum illud commercium, et amicitia sibi non satis arcta videretur, naturam humanam cum divina persona aeterni Filii missione coniunxit, et tam mirabili vinculo copulavit, ut hominem Deum, et Deum hominem fecerit. Qua in re vere dictum a Iuriconsultis, amorem magis declarari in descensu, quam in ascensu: nam, ut ipsi aiunt, *Amor non ascendit, sed descendit*. Quibus verbis significare voluerunt maiorem esse descendentium amorem, quam ascendentium, ardentior quippe patris in filios, quam filiorum in parentes amor, et charitas est. Unde vulgari usurpatur proverbio, patrem unum filios centum, non autem unum filium centum filios praesae esse solitos: quod Apostolus Paulus videtur insinuasse, dicens (*2. Cor. 12*): *Nec enim debent filii parentibus thesaurizari, sed parentes filijs*. Sed multo magis haec veritas luceat in praesenti mysterio: nam amor Deum sic ad ima descendere facit, a coelo in terram deferens illum, hominemque faciens, ut optime dicere possumus: *Amor non ascendit, sed descendit*. Unde recte Augustinus: *Amor meus pondus meum, illo feror quocunque feror*: quod et Nicaenum symbolum ita faletur: *Descendit de coelo, et incarnatus est*: descensus ille amoris effectus fuit. Sed placet hoc ipsum Poetarum etiam fabulis indicare. Nam si divina Scriptura fabulis interdum utitur, qualis est arborum, quae domipsum suum, ac regem elegerunt salicem, et illa, quae narrantur de carduo, petente filio suo dari nuptii filiam edri, propter cuius rei superbiam humi repit, et ab animalibus conculcatur: potero etiam ipse aliquando id facere, ut divina mysteria manifestius appareant. Orpheum narrat fabularum scriptores, tanto uxoris suae, quae apud inferos morabatur, amore captum, ut neglecto Cerberi canis metu, et horribilium satellitum loca illa custodientium formidine reiecta, citharam suavissime pulsans, illuc in-trepidus descenderet, et uxorem a miserabili, et infelici vitae conditione liberaverit. Fictio haec Poetarum fuit; amor tamen Dei tantus est, ut quod illic fabula censetur, in praesenti mysterio sit maxime, et catholica veritas. Naturam enim humanam degentem in terra, quae sic cum coelo confederat, inferni instar est, Dei Filium tanquam sponsam suam, quem sibi coniungere promiserat, vehementer diligens, in terram a coelo lapsus, ab amara mortis, et a regno caliginis eripuit, et apud se ipsum ita manere voluit, ut eam sibi propriae personae unione coniunxerit. Et quamvis ad tantae rei executionem superandae illi erant magnae, at-

que multiplices difficultates, cuiusmodi erat omnis esse doloris participem, subitici infinitis cruciatibus, immortalem subdi mortis imperio, aeternum subesse tempore, creatorem rerum fieri puerum matris ubera sugentem, omnia tamen pati voluit prae nimio amore, quo sponsam prosequabatur. Amor enim perfectus et verus nihil non audet, et propriae salutis oblitus nullum timet periculum, nullum vitae discrimen reformidat. Unde Ioannes (1. Ioan. 4): *Charitas foras mittit timorem*. Nec id prae se occultum fuit Ethnicis: nam ut (*in theat. vit. human.*) legitimus, Athenienses ad bella discessuri, antequam signa moverent, sacrificium solemne, non quidem Marti, quamvis eum id magis tanquam Deum bellorum decere videretur, sed amoris Deo faciebant, significantes amorem esse, qui animam ad pericula subeunda praebet, ideoque illius voluntatem, et benevolentiam sibi conciliare per sacrificia curabant, eo potissimum tempore, quod ad conferendas cum hoste manus egrediebantur. Apud quos etiam amor manu fulmen tenens pingebatur, quoniam sicut vehementior est fulminis vis, ubi manus reperit obstaculum, sic amor quavis ardua pervadit, et quidquid obvium est, subigit, et propulsat. Fuit et alia apud antiquos amoris figura, qua medius amor inter Mercurium eloquentiae Deum, et Herculem fortissimum figurabatur, ut inde non solum in amore verba, et eloquentiam ad rei amatae defensionem, verum etiam promptam audaciam, et expeditas in omne opus vires esse oportere cognosceremus. Neque minus id inuebat amoris alia imago, habens duas sagittas, unam plumbeam, alteram auream, cuius pedes gryphis pedibus similes erant. Sagitta aurea, ut illi fabulabantur, dilectos vulnerabat, plumbea infestos, et inimicos percutiebat, gryphis pedibus tenacitas illius representabatur, qua semel apprehensam praedam non dimittit: quoniam, ut rerum naturalium tractatores attestantur, ea est gryphis natura, ut quod unguibus arripit, nisi abscessis curibus relinquere nesciat. Est qui dicat, hoc ipsum pariter significari per communem amoris figuram, qua caecus, et alatus depingitur, nam caecus esse dicitur, quoniam ad omnia obstacula, et quavis incommoda videtur habere oculos clausos: alae insinuunt velocitatem, qua rapitur, ut quod amat, a quovis periculo leuatur. Sed prae ceteris divini amoris vehementiam, magnumque fortitudinem, quam in superandis impedimentis, et vicendis difficultatibus, quae nostram redemptionem impedire possent, representat Ezechielis (*cap. 1*) visio, cuius potissimum argumentum erat Hebraeorum consolatio, quae a divini Verbi adventu in humana carne pendebat. Unde inquit, visum a se Dominum triumphantem, electro, et fulguri similem, cuius verba sunt: *Species eius sicut electri in similitudinem fulguris coruscantis*. Addit etiam Deum in curru sedere, quem animalia quatuor alas habentia traherent, et in medio currus, sive rotae, hominem esse, sive ut ibi legitimus, *similitudinem hominis in medio rotae*. Primum, quod ait de triumphatore est, quod species eius erat sicut electri, ut ei

significaret esse mortalem: nam teste Plinio electrum ab arbore stillatur, et quemadmodum gummi vulgare est pallidum, qui color mortis est imago. Unde Horatius (*lib. 1. Ode 4*) mortem vocavit pallidam:

Pallida mors aequo pulsat pede pauperum tabernas,
Regumque turres.

Species igitur electri in triumphante ab Ezechiele proposito carnem eius innuit mortalem, ut hoc modo gloria victoris magis eluceret: tunc enim gloriosior triumphus est, quando vires, quibus fuit parva victoria, erant imbecilliores. *Aspectus eius*, inquit, *in similitudinem fulguris coruscantis*, ut significaretur, per divinum Verbum esse destruendam Luciferi potentiam, et imperium satanae devastandum. Et quoniam humani generis hostis de coelo, tanquam fulmen, ceciderat, ut scriptum est (*Luc. 10*): *Vidabam satanae sicut fulgur de coelo cadentem*: ideo Deus contra ipsum, non secus, ac fulmen ardentissimum, et vehementissimum a coelo in terram dilabatur. *Etheri fulminis* quanta sit vis, eleganter descripsit poeta discretissimus Lucanus, his versibus:

Qualiter expressam ventis per nubila fulmen,
Aetheris impulsis sonitu, mundique fragore
Emicuit: raptique diem, populosque paventes
Territ, obliqua praestringens Iunonia flamma,
In sua templa furit: nullaque exte verante
Materia, magnamque calens, magnamque revertens,
Dat stragem late, sparsoque recolligit ignes.

Virtus autem, et vis divini nostri fulminis, Verbi nempe incarnati amor potentissimus, non quidem vitam eripiens mortalem, sed largiens aeternam, tunc instat fulguris suam maxime explicat efficaciam, augetque potentiam, cum hominis animus durior obstitit, quod in peccatrice Magdalena, in foeneratore Matthaeo, in persecutore Paulo cernimus mirabiliter effectum, et ab eodem Apostolo declaratum his verbis, *Charitas Dei urget nos*. Praeclare igitur dixit Isaias, vidisse Dominum in similitudinem fulguris coruscantis. Adiungit Propheta praedictis currum, quo triumphator insidebat, trahi a leone, bove, aquila, et homine diversi generis animalibus, ut inde amplissimus amoris triumphus significaretur, tunc sibi cuiusvis status, aut conditionis, sive ingenui homines suo subdens imperio de omnibus triumphare cognoscitur. Nam quamvis immanitate leonem, aquilam elatione, bovem tarditate, et ipsam humanae mentis voluntatem multitudine superent; eos tamen potestas amoris mansuefacit, deprimit, exacuit, confirmat. Huc spectat Eustachii graeci auctoris pictura, qua Deum amoris cum gladio, et arcu figurabat, cuius lateri foemina candida, et altera nigra haerebat, et a diversis animalibus tractum currum magna hominum, tam aetate, quam vitae conditione differentium sequebatur multitudo, quibus omnibus amor dominabatur. Nam gladio in homines, arcu adversus animalia, et volucres utebatur. Candida mulier diem, nigra noctem inuebat, ut omni tempore amorem go-

tere imperium in omnes, nullumque momentum ab eius flammis alienum esse intelligere-mus. Quod si tandem currus illius rotas consideremus, aliud nostro proposito accommodatum mysterium detegemus: inquit enim: *Similitudo hominis in medio rotae*. Nulla profecto rota velocius aut fortior quam Dei gratia, qua facile gravissima quoque in sublime tolluntur: nam quemadmodum rotam, vel machinariam gruum agens, etsi unus sit, saxa movet, et tollit ingentia, quae vix a pluribus sine rotae auxilio possent dimoveri, sic gratiae praesentiae facile peraguntur, quae illa deficientes, praestare non possunt. Talis etiam est rota huius currus ardentis, nempe divini amoris: nam in medio eius rotae positus Deus homo, tanquam machinaria grue naturam humanam, quae pondere suo deorsum ferri apta est, adeo tulit in sublime, ut illam eo loco, quam natura divina tenebat, in ipsa videlicet divini Verbi persona locaverit, quo alius ipsamet Dei natura exurgere non valuit. Quod ut praestaret, omnia impedimenta, et difficultates, quae occurrere poterant, in peragendo nostrae reparationis mysterio, diligenter, et fortiter non secus, ac si sua interesset, prius amovit, et separavit. Et quamvis potuerit Deus genus humanum reparare per alium cum acceptatione, et supplemento defectus iustitiae rigorosae, quae nulli modo esse poterat in sola creatura; quoniam tamen perfecti amoris officium est non solum amatae rei damna resarcire, et incommodis subvenire alterius intervenit personae, sed per se ipsum accurrere, sicut cernimus in Magdalena, quae, ut advertit Origenes (*homil. de resurr.*), prae nimio amore se ipsum ungeri voluit, etiam si a Iosepho, et Nicomede unctum noverat, non per angelum, sed per se ipsum voluit redimere genus hominum, iuxta illud apostoli Pauli (*ad Eph. 5*): *Christus dilexit Ecclesiam, et se ipsum tradidit pro ea, ut eam sanctificaret*. Hinc patet, quantum redemptionis beneficium praestet creationis beneficentiae, et liberalitati, quoniam supposito Dei immutabili decreto creandi nos, et redimendi, certe iuxta s. Thomae (1. p.), et omnium illum sequentium doctrinam necesse erat per seipsum Deus creationis opus efficeret: quippe fieri non poterat, ut illud alteri, vel tanquam causae principali, vel tanquam instrumenti committeret; redemptio autem poterat quidem angelo committi, Dei tamen amor tam excellens, et eximius fuit, ut sibi soli id opus reservaverit, volens per seipsum nos redimere, proprium sanguinem, et vitam pro reparatione nostrae salutis effundens. Tantis hic fuit divini amoris excessus, ut illum ausus fuerit Paulus vocare nimium, inquit (*ad Eph. 2*): *Propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, misit Filium suum, ut eos, qui sub lege erant, redimeret*. Philosophi, qui de moribus scribunt, omne nimium esse vitiosum docent: nam cum virtus in medio consistere debeat, ad quodlibet extremorum si declinet, in vitium labitur: unde iuxta horum doctrinam videtur Apostolus amorem condemnare divinum, vocans eum nimium. Non tamen ita est, nam illum potius laudat, et tanquam valde perfe-

ctum commendat: quoniam omnes numeros charitatis sic implevit, ut sanguinem innocentem daturus peccatori salutem profunderit, cum tamen id sine tanto sui dispendio peragere, et quod amissum fuerat, restaurare potuisset. Expropter Apostolus nimiam appellavit illam charitatem, considerans excessum magni pretii, pro nostra reparatione a Deo soluti, siquidem incomparabiliter maior debito fuit satisfactio; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA IX.

Divini amoris vi effectum esse, ut Deus suam contraheret immensitatem, ad humanam descendens naturam, ut homo conscenderet ad divinam: qua in re, quamvis Dei altitudo videatur quidem deprimi, multo tamen mirabilior extollitur.

Inclutus ille Thebanus Alcibiades, ut refert Satherus historicus, clypeum in praелиis gestasse narrat aureum, et eburneum, cuius medium locum occupabat amor fulmen manu tenens, in duas partes divisum, quod ille vi sua raperat, et infererat. Haec amoris figura non videtur absimilis ei, quam in suis Emblematis Alcuius (*emblem. 17*) describit, dum Iovem ab alta sui throni sede fulminantem exprimit, vibrato tamen fulmini amor obvius occurrens, impetum cadentis retardat, et flammam extinguit. Hanc amoris vicariam videtur insinuas Virgilius, cum cecinit (*lib. 1. Aeneid.*):

Nate patris summi, qui tela Typhoea tenens.

Quae amoris simulacra satis aperte mihi praesefertur divini amoris vim, alque potentiam, cum in mysterio incarnationis tot intervenientes difficultates, ac praesertim dum coequetur magnitudo, et maiestas deprimitur, ut homo ad illam ascenderet, ita superavit, ut nullo impedimenti genere, nulla fulminis quantumvis potentis violentia, et impetu cohiberi valeat, quin ad exitum perducatur, quod sibi ab aeterno ad humani generis salutem faciendum proposuerat. Narrat (*in lib. de morib. German.*) Cornelius Tacitus, eam gentem longo annorum spatio nullam imaginem, aram, vel templum sacrae Deo, quod ab eo iniuriam fieri nimium dicerent, qui putaret parietibus divinitatem posse claudii, magno opere angustam Deorum maiestatem existere, si ad angustis corporis formam compelleretur. Haec tamen Germanis visam difficultatem divinus amor in nostrae carnis assumptione ita devicit, ut cum Dei immensitas tanta sit, ut de illa scriptum legamus, *coelum, et terram ego impleo*, propter nimiam tamen charitatem, qua dilexit nos, quasi saepe immemor dignitatis, infinitam suam contraxerit amplitudinem, intrans tam parvi